

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 31

Nosse debebitis, si qui eritis posteri nostri Maioris scilicet huius habitatores Monasterii Sancti Martini, Hildegardem uxorem Fulcherii de Vindocino emisse unum molendinum in Ledo fluviolo, loco qui dicitur „ad Cappam“ situm, ad opus Sancti Martini et nostrum, de quodam homine Guismando nomine, annuente uxore sua nomine Emelina, que habuit ob hoc, primo pelliciam XL solidorum, postea C solidos, et filio eorum favente Guismando nomine, necnon et Gisleberto fratre Emeline que accepit ob hoc unam auri unciam, filii quoque predicte Hildegardis, Fulcherius scilicet et Vulgrinus gratis hoc annuerunt. Arnulfus vero, nepos eius, pro auctoramento XL solidos accepit, et Lancelinus de Balgenciaco XX solidos pro eo quod auctorizavit. Post annos autem non minus XXV, Fulcherius de Turre, Hildegardis ipsius ex filia nepos, eundem nobis molendinum columniari cepit, quod illum pater suus, vocabulo Rotgerius, iniuste licet aliquando tenuisset. Mater quoque ipsius, Adela nomine, tunc adhuc superstes, asserere nitebatur, quod ad opus suum, hoc est eiusdem Adele, non ad opus Sancti Martini, molendinum illum Hildegardis emerit. Sed contra ambos testes habuimus legitimos: unum, nomine Randanum, et alterum Gausbertum cognomento Pullum, qui omni lege probare fuere parati: Quod Hildegardis molendinum ad opus emerit Sancti Martini, et pisces ex eius piscaria investituram dederit in vita sua monachis Maioris Monasterii, atque post eius obitum idem monachi annis XXV molendinum habuissent quietum. Ipsa quoque Adela, que cum filio suo asserebat quod post mortem Hildegardis, iam dictus Rotgerius maritus suus et ipsa molendinum tanquam sui iuris invasissent et aliquandiu tenuissent, inquisita quemadmodum ab eorum dominio postea redisset in nostrum, respondit eundem maritum suus cum moreretur, nobis illum reddere voluisse. Quod cum ipsa nollet, ab ea petisse ut si Sancto Martino per semetipsam illum concedere nollet, vel sibi marito suo ipsa et ipse illum Sancto Martino donaret. Ad quod illa annuente, ita nobis molendinum redditum fuisse. Quod cum narrasset Adela, et hac ipsa sua narratione etiamsi vera esset, et testium supradictorum assertione calumnia sua suique filii convicta, atque iudicium qui aderant sententia improbante frustata, molendinum illum nobis permisit manere quietum. Testibus istis: - Fulcone Vindocinensi comite – Odone Rufo – Ingelbaldo Britone – Archembaldo preposito – Chotardo filio Gauscelini Bodelli – Chotardo filio Guillelmi vicarii – Johanne converso – Tetbaldo filio Leterii – Gauffredo carpentario – Randuno homine Ingelbaldi – Fulcone priore monacho – Gausberto Pullo – Hugone monacho – Benedicto Blancardo – Isemberto monacho.